NOS LEOPOLDVS

DEI gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae,
Sclavoniae, Ramae, Serviae, Gallitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque &c. REX; Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Marchio Moraviae, Lucemburgae, ac Su-
perioris et inferioris Silesiae, Wirthembergae, & Thekae, Princeps Sveviae, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferreti, Kyburgi & Goritiae &c. MEMORIAE commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit Universis. QUOD
Nobis considerantibus, animoque nostro volventibus quam pulchrum atque decorum sit, quantumque stabiliendis, et firmandis Regnorum Imperijs expediat promptissimam subditorum erga Principem suum fidelitatem, & obsequium, non modo lae-
to animo, benignoque & clementi vultu acceptare; verum etiam honestissimos in condecorando syncerae fidei studio, sponte sua certantium conatus, liberali munificentia prosequi, ac ultro currentibus addito remuneratae Virtutis calcari, ferventio-
rem ad benecaepta, & pergratam posteritatem, cum perpetuo fidelitatis cursu, continuanda, animum addere; quo & ipsa posteritas, laudabilium majorum suorum Virtutum aemula, ad constantem fidelitatem, tanquam ad caeterarum Virtutum mode-
ratricem, & aliorum egregiorum facinorum prosecutionem accincta, legitimis ipsorum Principibus praestandam, praelucens instrumentum, & quasi simulacrum prae oculis semper habere possit. Cum igitur ob id, tum etiam ad demissam, ac sedulam instantiam, sup-
plicationemque fidelium nostrorum Egregiorum & Nobilium Vice Comitis, Iudlium, Iuratorum Assessorum, ac totius Universitatis Magnatum, & Nobilium Comitatus Bihoriensis, hocce nomine apud Maiestatem nostram factam; Qui superioribus retroactis Annis
& Temporibus a corpore suo Regno videlicet nostro Hungariae abstractus, atque ad Principatum Transylvaniae cessus & applicatus; medio vero tempore per immanem Christiani nominis hostem Turcam subactus, nunc autem victricibus Armis nostris recu-
peratus, et postliminio rursus corpori suo restitutus esset, & reincorporatus; ingruentibus diversis et gravibus medio tempore bellorum tempestatibus, internisque, & externis disturbiorum motibus, & innumeris bellicosorum temporum injurijs, in-
terque tam varias rerum vicissitudines, Sigillum eiusdem Comitatus Bihoriensis publicum seu Authenticum, quo in sigillandis quibusvis literalibus Instrumentis, et Expeditionibus tam forensibus quam Iuridicis, alijsque quibusvis nomine Uni-
versitatis de more & consvetudine extradari solitis & consveti usi fuerant, deperditum esse, eiusque nec memoriam peramplius extare causaret; id eisdem supplicantibus, ex speciali Caesareo Regia gratia nostra, deque potestatis nostrae plenitudine
indulgendum, annuendum & concedendum esse duximus, quatenus novum sigillum, pro praemisso usu suo confectum habere, eoque in signatione omnium Expeditionum suarum, instar aliorum Regni Comitatuum, & rubra cera uti possint;
Arma porro seu insignia sigillo talia insculpenda, nempe sigilli ipsius figurae sphaericae, seu rotundae fundum, sive infimam partem, diversis montibus occupantibus, per quorum intermedium satis amplum flumen, promiscuae qualitatis et quan-
titatis innatantibus piscibus abundans, decurrere; cuius altera ex ripa apparentibus in collibus seu montibus, a dextra quidem parte quinque Culmi erecti cum plenis spicis triticeis ubertatem denotantibus; a sinistra vero, vitis admodum
lata in altum exurgens & insignibus racemis, seu botris onusta, conspiciuntur. In circumferentia porro sigilli, haec Epigraphe: [Sigillum Comitatus Bihoriensis Millesimo, Sexcentesimo, nonagesimo.] apposita cernitur; gratiose im-
pertivimus, & contulimus; annuentes & ex certa nostra scientia animoque deliberato concedentes, ut idem Comitatus Bihoriensis, futuris semper temporibus, in omnibus, & singulis Literalibus instrumentis conficiendis, Expeditionibusque
forensibus ut praemissum est & Iuridicis, sed et alijs quibusvis nomine Universitatis exarandis & extradandis literis, et quavis dicti Comitatus Literali expeditione, eodem sigillo, ceraque rubra, eodem ex benigno indultu, & gratia nostra spe-
ciali, clementique annuentia, uti semper possit, ac valeat. Imo indulgemus, annuimus, & concedimus, impertimurque, & conferimus praesentium per vigorem. Harum nostrarum secreto sigillo nostro quo ut REX Hungariae utimur im-
pendenti communitarum vigore & Testimonio Literarum. DATUM per manus Fidelis nostri Reverendi Blasij Jaklin, Episcopi Tininiensis, Consiliarij nostri, & Aulae nostrae per Hungariam Cancellarij, in Civitate nostra Vienna Austriae
Die vigesima secunda Mensis Augusti ANNO Domini Millesimo Sexcentesimo Nonagesimo. Regnorum nostrorum Romani Trigesimo secundo, HUNGARIAE & reliquorum Trigesimo quarto, Bohemiae vero ANNO Trigesimo quinto.

Leopoldus

Blasius Jaklin
Epps Tininiensis

Stephanus Tenuritz